

1229, setembre, 20

*L'abadessa de Sant Daniel, Agnès, estableix a Gener de Montilivi, a la seva esposa Ermessendis i al seu fill Bernat un camp de la coromina que el monestir té a Vilaroja, a quarta i braçatge, per 30 sous d'entrada.*

ASD núm. 100, perg. orig., 95 x 220 mm. Còpia: *Llibre de capbreuacions*, núm. 89, f. 144.

Sit notum cunctis quod nos scilicet Agnes, Dei gratia abbatissa, assensu et uoluntate conuentus nostri, laudamus et donamus atque stabilimus tibi Ianuario de Monteeribio et uxori tue Ermesendi et filio uestro Bernarda omnique uestre posteritati <et> quibus uolueritis unum nostrum campum terre ipsius condamine nostre de Uillarubea, que afrontat ab oriente in honore Berengarie Undaris, a meridie in nostrum honorem quod per nos tenetis iure laboracionis ad medietatem, ab occiduo in nostrum honorem subtus ipsius uinee Arnalli de Bisullono, a circii in nostrum honorem sicut terminatum est. Sicut ab hiis .IIII.or affrontacionibus includitur uel circumcingitur predictum campum, sic damus eum uobis et uestris cum exitibus et regressibus suis et cum omnibus in se habentibus sibi qualicumque modo pertinentibus, sicut melius dici uel intelligi potest ad uestrum uestrorumque comodum et ad uestram uestrorumque uoluntatem ibi et inde perpetuo faciendam, saluo iure cenobii Sancti Danielis in omnibus et per omnia, cui dabitur quartam partem et braciaticum omnium expletorum fideliter quos Deus ibi dederit et sine aliqua missione quod ibi uel inde non faciamus, **1** sub tali condicione quod predictum campum bene et utile laboretis de cunctis suis laboracionibus et eum femetis ad tercium annum; et nos faciamus eum uobis habere et tenere in sana pace et uos sitis inde nobis et nostris fideles et legales in omnibus et per omnia bona fide et sine deceptione. Pro ista uero donatione et laudacione atque stabilicione accipimus a uobis .xx:x. solidos denariorum barchinonensium, renunciando exceptioni non numerate pecunie.

Actum est hoc .XII. kalendas decembris anno Domini .MCCXX. non o.

Agnes, gratia Dei abbatissa\*. Sig+num Berengarie de Riuopirarum, deuote. Sig+num Berengarie de Palera deuote. Sig+num Guilielme de Torrente, deuote. Sig+num Arnalli Sancti Danielis. Sig+num Bernardi Scuteri.

(s. man.) Guilielmus pres hi ter et capellanus Sancti Danielis, qui hoc scripsit. Ego Petrus de Podio, capellanus Sancti Danielis, baiulus dictarum possessionum subscribo.

l. ms.: fecerimus.

Extret de: Marquès, Josep M., ed. Col·lecció diplomàtica de Sant Daniel de Girona (924-1300). Barcelona: Fundació Noguera, 1997. 218-219

